

Quid^a sit legale coniugium vel quid non^a

Cap^b. I.^b Qualiter⁴⁶ coniugium iniri debeat, et vetus et nova lex edocet domino per Moysen praecipiente⁴⁷ et in evangelio demonstrante: *Cum*⁴⁸ esset, inquit, *desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam nuptiali celebratione convenirent*, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua praesentia sanctificare et miraculo ibidem patrato inlustrare dignatus est⁴⁹. Sed et sanctus Evaristus papa Romanus quartus a beato Petro in decretalibus ad locum ita scribit: *Similiter*⁵⁰ *custoditum et traditum habemus, ut uxor legitime viro iungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legibus dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur et a paranimphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis tempore congruo petita legibus dotetur et solempniter accipitur; et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino placebunt et filios non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generabunt. Quapropter, filii carissimi et merito inlustres, fide catholica suffragante ita peracta legitima scitote^c esse coniugia; aliter vero praesumpta non coniugia, sed aut adulteria aut contubernia aut stupra vel fornicationes potius quam legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit et vota succurrerint legitima. Nam fructus divinus est praecepta divina custodire; ea quoque deserere praesumptionem fieri nulli dubium est. Quur^d ergo^d indignum est unitatem ecclesiae custodiri? Idemque omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus. Si enim aliter praesumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores se ipsos, qui semetipsos decipiunt. Unde de huiusmodi ineundo coniugio Siricius papa in decretis ad Himerium Terrachonensem episcopum capitulo*

a – a) von jüngerer Hand am oberen Rand nachgetragen A. b) am Rand A.

c) danach etwa zwei Buchstaben radiert A. d) -r er- auf Rasur A.

⁴⁶) Qualiter – usurpantur (S. 41) wurde von Hinkmar leicht verändert und mit Einschüben in De divortio Lotharii regis et Theutbergae reginae Resp. 4 übernommen (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 33–35); Qualiter – honestatis (S. 41) hat er in De nuptiis Stephani frei bearbeitet (MGH Epp. 8,1 S. 92,21–93,20; vgl. auch S. 97,10–12 und S. 103,20–25, Schrörs, wie Anm. 23, Reg. 142 von 860).

⁴⁷) Vgl. Exod. 22,15 f.

⁴⁸) Cum – convenirent: Matth. 1,18.

⁴⁹) Vgl. Ioh. 2,1–11.

⁵⁰) Pseudo-Evarist an die Bischöfe Afrikas (JK † 20, Hinschius, wie Anm. 16, S. 87f.); zur Version vgl. Fuhrmann (wie Anm. 7) 1 S. 215 Anm. 74.